

» *firmatione privilegiorum Sedis Apostolicæ-- Nos Principes Imperii Hen-*  
 » *ricus Trevirensis, Siffridus Coloniensis, Wernerus Moguntinensis Archiep.*  
 » *Ludovicus Comes Palatinus Rheni utriusque Bavariæ Dux, Joannes*  
 » *Rex Saxoniae, Joannes Marchio Brandenburgensis, & nos Ottones Mar-*  
 » *chiones Brandenburgenses. Universis præsentem paginam inspecturis. Com-*  
 » *plectens ab olim sibi Ramana Mater Ecclesia quadam quasi germana cha-*  
 » *ritate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est*  
 » *super omne nomen temporaliter tantum præsentium super terram, plan-*  
 » *tans in ea Principes, tanquam arbores præelectas & rigans illas gratia*  
 » *singulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiae, ut ipsius Ecclesiæ*  
 » *auctoritate suffulti velut germen electum per ipsorum electionem, illum qui*  
 » *fræna Romani teneret Imperii germinarent. Hic est illud luminare minus*  
 » *in firmamento militantis Ecclesiæ per luminare majus Christi Vicarium il-*  
 » *lustratum. Hic est qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit, &*  
 » *convertit, ut ejus præsidio Pastorum Pastor adjutus oves sibi creditas spi-*  
 » *rituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet, & corrigit ad vin-*  
 » *dictam malefactorum, laudem vero credentium, & bonorum. Ut igitur his*  
 » *materia dissensionis, & scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam*  
 » *Ecclesiam, & Imperium auferantur & ii duo gladii in domo Domini con-*  
 » *stituti debito fœdere copulati seipsos exerceant in utilem reformationem*  
 » *regiminis universi; & nos in actu voluntatis & operis inveniamur filii de-*  
 » *votionis & pacis, qui tam Ecclesiam, quam Imperium consovere tenemur:*  
 » *quidquid per D. N. Rudolphum Dei gratia Romm. Regem semper Aug.*  
 » *Sanctiss. Patri ac D. N. Domino Nicolao Papæ III. ejusque successo-*  
 » *ribus, & ipsi R. Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innova-*  
 » *tum, de novo donatum, declaratum, sive concessum, juratum, & actum,*  
 » *seu factum est per privilegia, vel quæcunque alia scripta quorumcumque*  
 » *tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovatio-*  
 » *nibus, confirmationibus, donationibus, & concessionibus, & factis, seu*  
 » *gestis tam aliorum Imperatorum, & Regum Romanorum Prædecessorum*  
 » *Regis ejusdem, quam ipsius Regis, & specialiter super fidelitate, obedien-*  
 » *tia, honorificentia, & reverentia per Romanos Imperatores, & Reges Ro-*  
 » *manis Pontificibus, & ipsi Ecclesiæ impendendis, ac possessionibus, ho-*  
 » *noribus, & juribus ejusdem Ecclesiæ, & nominatim:*

» *Super tota terra, quæ est a Radicofano usque ad Ceperanum, Marchia*  
 » *Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitissæ Mathildis, Civitate Ra-*  
 » *venna, & Æmilia, Bojo, Cæsena, Foropopuli, Forlivio, Faventia, Im-*  
 » *mola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis, atque Gabello, Aremi-*  
 » *no, Urbino, Monteferetri, Territorio Balnensi, Comitatu Brettonorii,*  
 » *Exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Massa Trabaria, cum adjacentibus ter-*  
 » *ris,*